



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De Adolescente mortuo suscitato in civitate Naim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

Vide in 1.
parte, in
festo san-
cti An-
tonii.

verbo & exemplo; Beati qui persecutionem patiuntur, Beati cum maledixerint vobis h. mines. Nulla est pagina Evangelii quæ non id tonet; nulla Christi Domini actio quæ non id confirmet. Et in his adhuc notas, adhuc dubitas, adhuc te miserum dicis, ubi Evangelium te beatum clamat! ubi est fides tua?

III. PUNCTUM.

Sicut ergo Infidelis, qui res ex sensu tantum humano metitur, nihil apparet miserius quam ignominia simul ac pœna, & proinde à Christo retrahitur: sic à contra, fidei Christiano qui de rebus aliter iudicat, ex regula scilicet æternorum, & ex Evangelio Christi, nihil credit illis beatius. Quia beatos faciunt seu disponunt proximè ad veram beatitudinem, quæ dispositione & statu nihil beatius in terris æstimari potest, ac proinde tanto magis ad Christum attrahitur qui totus in illis est. Unde enim pecunia, commoditates, honor, voluptas, & alia quæ naturali appetitu concupiscuntur, putantur esse bona, nisi quia beatos faciunt in hac vita? Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Cur nõ igitur meliori jure ignominia & pœna in bo-

nis censebuntur, cum tam verè beatos faciant quam verè una est beatitudo æterna, quæ inde certius comparatur? Si verè beata posset esse hæc vita, seu si beatitudo vera hic esset, vera essent bona quæ beatam hanc vitam facerent: sed cum nulla sit talis beatitudo, restat sola hic esse verè bona, quæ solum veram beatitudinem, id est æternam & cœlestem attingunt, donec ea perfruamur.

Si in hac vita tantum, inquit Apostolus, in 1. Cor. 15. Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus; sed in æterna spes nostra sita est, unde & Beatiores sumus. Gloriamur in Rom. 5. spe gloria filiorum Dei, ait idem, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientiam autem probationem, probatio vero spem; Quasi diceret, ut explicat sanctus Bernardus, glo- Serm. 17. riamur in tribulatione sicut in ipsa gloria, in Ps. 90. quia in tribulatione spes gloria, imò & ipsa gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. Seminatur 2. Cor. 15. in ignobilitate, surget in gloria: Vel si seminatur in gloria; surget in ignobilitate. Mutaverunt Ps. 105. gloriam suam!

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Adolescente mortuo suscitato in Civitate Naim. Luc. 7.

VIDERI debet Dominica 15. post Pentecosten, quæ est prima quartæ partis, ubi hoc idem Evangelium proponitur, atque inde sex Veritates Practicæ colliguntur.

FERIA SEXTA.
CHRISTVS PER LVDIBRIVM,
Rex & Homo dictus.

Ecce homo.

Ecce Rex vester. Ioan. 19.

VERITAS PRACTICÆ.

Sic prudenter cavendum, ne vituperetur Ministerium tuum; ut si nimis id caves, non satis caveas.

RATIO EST, Quia non satis caves, si cum offensione caveas.
Sed si nimis caves, non nisi cum offensione caves.

Ergo ne quid nimis, ne quid simul non satis sit: Ac proinde sic cavendum, ne vituperetur ministerium tuum, ut si nimis caves non satis caveas; & tu ipse magis illud vituperes.

I. PUNCTUM.

Flagellationem hæc proximè secuta sunt, quæ narrantur ab Evangelistis, Tunc mili- Matt. 27.